

divina promoveatur, alias etiam preces fundunt ad B. Virginem MARIAM, ut potentissimae Matris ope implorent, et eamdem in hoc pium opus salutis animarum procuranda adjutricem sibi adsciscant. Hi scilicet singulis diebus semei precantur « Pater noster » cum decem « Ave MARIA » ad eam intentionem quæ initio cujusque mensis iisdem indicatur, per Romanum Pontificem approbata quin tamen ideo censeri possint adscripti pio Operi Rosarii viventis, neque legibus *adstringantur*, quibus id regitur, hoc est ut mysterium sorte sibi attributum inter precandum meditentur, et in turmas distribuantur quæ quindecim sociis singule constent.

IV. — Tertius gradus iis constituitur qui, opera saltem primi gradus exercentes, impedimenta præterea removere curant, ne preces nostræ pro salute animarum ad Deum fuese effectu fraudentur. In eum fiuem singulis mensibus vel hebdomadis, ad normam Brevis die 10 febr. 1882 dati, Communionem Reparatricem peragunt, qua sanctissimum JESU Cor peccatis hominum ad iram provocatum placare et precibus nostris propitium reddere contendunt. Quare hi omnes qui tertio huius gradui adscribuntur, et prædictam Communionem secundum regulas pro Pio Opera Communionis Reparatricis stabilitas peragunt, hujus associationis *membra* constituuntur, ejusdemque indulgentias lucrantur.

V. — Pariter quamvis Pia Sodalitas, ab « Hora Sancta » nuncupata, diversa sit a « Pia Societate Apostolatus Orationis,» tamen omnibus sociis Apostolatus Orationis qui pium exercitium ab « Hora Sancta » dictum rite paragunt ut Sanctissimum JESU Cor injuriis hominum lacescitum placent, nostrisque precibus benignum reddant, integrum est gratias omnes spirituales sibi comparare quæ illis, hoc pium exercitium peragentibus, conceduntur Rescripto Pii IX, die 13 maii 1875, et Brevi Leonis XIII, die 30 martii 1886. Sed alia pia opera Apostolatui adjicere nemini fas erit, integris tamen perstantibus facultatibus, quibus locorum Ordinarii, pro sua quisque Diœcesi, gaudent.

VI. — Christifideles in piam hanc Societatem adsciti qui, præ ceteris pietati dediti, singulare flagrant animarum studio, adeoque Zelatores et Zelatrices dicuntur, omni ope contendunt ut magis in dies divina gloria, animarum salus et cultus Sanctissimi Cordis JESU secundum Apostolatus Statuta, pro-